DE NOSTALGIA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM CONSENSU ET...

Egidio Grassi



DE

NOSTALGIA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DOMINI DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE CONSEQUENDA IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. FRANCISCO FLARER

Therapiae et Clinices Ocularíae P. O.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

MENSE MAII ANNO 1847

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

AEGIDIUS GRASSI

Bergomas ex Schilpario.



TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.





A MIO PADRE.

DE NOSTALGIA.

> Heureux ceux qui n' ont point vu la fumée des fêtes de l'etranger et qui ne se sont assis qu' eux festins de leur pères!
>
> CHATEAUBRIAND.

Sensus ille profundus, qui sancto naturae consilio, humana pectora constringens, memorem exulantis in patriam suosque pietatem assidue fatigat, eo quandoque intendi et perverti potest, ut in veram monomaniae speciem discedat; inde morbus, quem vulgo medici *nostalgiam* (nomine ex graecis *νοστεω = redeo*, *αλγος = dolor*, deprompto) dicunt, passimque apud auctores sub *nostomaniae*, *nostopatridomaniae*, *pathopatridalgiae*, *pathopatrialaiae*, *philopatridomaniae*, etc. titulis designatum offendimus, et de quo modo brevia disserere molimur.

Moerur ab ingenti, nec expleta, patriam suoave revisendi cupidine altus, at ad eum

usque gradum evectus ut liberum spiritus arbitrium plus minus cohibeat, characterem nostalgiae pathognomonicum ponit. Tali ratione haec psychopathia luculenter sibi naturam defendit *monomaniae tristis* vel *melancholicae*, cujus nonnisi formam constituit. Id verum nec unum fortasse inter nosographos effugit. Linneus ipsam ad *morbos patheticos*, Sagar ad *vesanias* dimittit; Vogel utpote *melancholiae* varietatem expedit, (Class. IX Paranoiae); juxta Cullenium nostalgia *vesanias* iterum respicit; (Ord. IV gen. LII Melancholia) juxta Burserium, Pinel, etc. *melancholiae* speciem iterum sistit.

Nostalgiam ingruentem moestitia igitur profunda, primum symptoma enuntiat: qua compressus aeger hominum conspectum et coetum aversatur, atque invia loca peragrans, secretosque recessus quaeritans, una eademque semper idea torquetur, idea patriae, familiae, a quibus invitus sejungitur. Jamprimum vultus collapsus ac singulari et luctuosa hebetudinis nota distinctus, oculi tristes, immoti, humi plerumque defixi aut procul spectantes, magnam animi aegritudinem arguunt, quae, invalescente mox morbo, in verum delirium abludit; una nimirum, nec ullo pacto abrumpenda

idearum series tanta vi intellectum obruit, ut totius vitae psychicae quasi centrum constituit, omnem mentis attentionem voluntatisque renisum in se rapiens, reliquis proinde muneribus subducens.

Tantum vero animi pathema, at, quae inde oritur, innervationis perturbatio, diu constare haud possunt, quin caeterae vitae functiones pessime adficiantur, atque alia idcirco ac ferme innumera morbosa phaenomena in scenam prodeant, quorum praecipua tantummodo memoranda hic veniunt. Motus muscularis difficilis primum atque incertus nec diu protrahendus, en sensim sensimque pessumdatur, ut aeger, gressui impar, sedere, tandem decumbere cogitur. Caput cephalea gravativa plerumque detinetur. Interdum insolita voracitas instat; at saepius appetitus prosternitur, sapor oris depravatur, sitis urget, lingua arescit, ciborum fastidium exurgit; nostomaniaci nonnulli diutina jejunia pervicassime servant. Non raro praeterea anxietas epigastrica, vomituritio et vomitus, cardialgia, dolores colici accedunt; alvus quando praeter morem laxata, quando pertinaciter clausa; urina pellucida, aquosa, utplurimum uberior observatur. Respiratio lenta, difficilis, crebris suspiriis interdistincta,

qualis in organorum spirituum ducentium congestionibus evadit. Pulsus est parvus, saepe irregularis, semper tardus: non ultra sex et triginta vices in horae momento micantem deprehendebat Jos. Frank. Somnus aut nullus conceditur, aut si quis obrepit, aegrum ne vix quidem crudeli somniorum ludibrio exoptatis frustra laribus restitutum, iterum deserit, non aliud quam novum ingenti tristitiae pabulum largitus. Cardiopalmus tandem, leipothymiae, syncopes, tremores convulsivi, paralyses partiales, etc. aliquando manifestantur, funestumque jam nimis tot miseriarum agmen adimplent.

Haec inter vero primam tanti doloris originem zelotypo nostalgicus silentio premit; sciscitantibus aliam et a vera longe diversam nectit. Ast continuo arcanam, qua angitur curam prodere quodammodo adigitur, si quis consulto casuve parentum tellurisque natalis nomine lacessat: hoc enim vix reddito, infelix arrectis auribus adstat, ac facie subito animata, oculis insueto igne micantibus, concitato sanguinis motu, nec non caeteris universalis et nullo nisu cohibeodae commotionis indiciis, veram praesentibus, medico imprimis, morbi naturam revelat. Tunc etiam, quum brevia illa, sed tamen benefica, somni momenta su-

beunt, si forte adsis jacentem non raro audies nomen amatum aut alia proferre ex quibus, quam antea incassum perquisieras, ingentis moeroris causa facile emergat.

Hisce stipata symptomatibus nostalgia decursum continuum et plerumque chronicum metiri consuescit: quasi tacitum ulcus vitam latenter depascitur, et miseros postremum, quos conflictat, ni voti compotes fiant, febri hectica ac tabe confectos implacata perimit. Saepe nimis imo nostomaniacus infelicissimam vitam perosus, si vi non contineatur, e fenestria se praecipitem coujicit, vel in aquas demergit, laqueove suspendit, aut aliter sibimet violentam consciscit lethum.

Quandoque e contra morbus cursum suum deleterium ocyus absolvit: id quod in castris praesertim pluries contingere auctor est clarissimus Larrey. Alias demum brevi dierum curriculo aegrotantem abripit supergressa quaelibet nobilioris visceris phlogosis, quam, licet psychopathiae culpa utplurimum incensam, nihilo tamen secius ab illa probe discriminari medicus debet.

Cadavera nostomania peremptorum nequicquam anatome pathologica interrogat: nullam videlicet alterationem organicam hactenus eruit,

quam intar et eam intellectus aberrantis formam necessaria vigeat relatio. Perplures equidem laesiones, et natura et sede diversas, hinc inde apud auctores recordatas invenimus: meningum praeprimis ac cerebri inflammationes in medium protulere ex neotericis praelaudatus Larrey, (*Recueil et Mémoir. de Chirurg.*), Bégin (*Dictionnaire de Médecin. et de Chirurg. pratiq.* Artic. *Nostalgie*), aliique: sed quae omnes adeo inconstantes occurrunt ut non aliud profecto quam secundarium morbi effectum, vel accidentalem complicationem exprimere valeant.

Ex eorum, quae paulo ante exposuimus syndrome, rite pensitata, nostomaniae diagnosis jam ultro prosilit. Hanc adfectionem, utpote monomaniae melancholicae formam, neque a mania, neque a dementia, neque ab idiotismo non secernere fas est; in mania reapse delirium universale et facultatum intellectualium exaltatio observatur; in dementia nulla penitus idearum cohaerentia superest; in idiotismo, quem *dementiam innatam* nuncupare placuit laudatissimo Foderé, facultates intellectuales vix, aut ne vix quidem eum, licet infimum, evolutionis gradum adipiscuntur, qui hominem a pecude disjungere sufficiat. Nostalgicus e con-

tre, omnium monomaniecorum adinstar, delirium pertiale praesefert: spiritum, caetaris inaccessum, circe easdem semper repraesentationes exercet; nonnullas quidem falsas ideas primo connectit, sibique rectas suadet, sed inde et judicia prorsus aequa et consequentias rationi consones elicit.

Natura autem exclusiva delirii, patriam assidue volutantis, nostalgiam ita ab alia qualibet monomania varietate dirimit, ut non mirari non possimus quoties ipsam cum hoc vel illo ex morbis affinibus confusam incidimus. Quos inter ne possibile quidem foret, credimus, nostalgiam ab altera et singulari monomania non sejungere, quae toto coelo diversa, vehementa atque insaturabili noves semper invisendi regiones cupiditate sustinetur, quaeque *apodemalgia* apud Hoyer, melius *apodemania* apud Andress audit.

Nostalgiam haud raro simulare contendunt praesertim milites ut suo se muneri subducant, aut dimissionem impetrent: sed fraus medicum circumdare atque irretire nonnisi aegre valebit: nam quod verus nostalgicus pertinaciter occulit, effrene ad suos redeundi desiderium, simulator primus ipse et medico et omnibus, utpote proprii moeroris unicum fontem, prae-

einit, nec tamen interea, quantumlibet studeat, aut peculiarem illum physionomiae stuporem, aut subitum ex patria parentibusque vix memoratis tumultum mentiri novit: adde quod et virium collapsus, et macies in dies crescens desideratur, quod pulsus ad normam constituitur, quod pleraque demum inter symptomata superius enumerata desunt, quibus innixa diu astus consistere queat.

Quoad morbi aetiologiam, nostalgiam jam natura sua patet quicumque temperamento instruitur, quod veteres melancholicum, recentiores, praeeunte Hallé, bilioso-nervosum appellant.

Etiamsi nullam, praeter infantiam, aetatem ab ea, de qua agimus, animi aegritudine immunem praedicare liceat, in ipsam attamen omnium pronissimi sunt juvenes, illi apprime qui suae familiae gremium nunquam antea reliquerint, nondumque vices, quibus tam saepe quatitur humana vita, experti sint. — Eadem utrumque sexum ad nostalgiam dispositio premit: quae si in alterutra praecellat mavia, de aequiore potius concedam. Et nihilo secius hanc phychopathiam maribus longe frequentius infestam observatio docet: id quod ex en dumtaxat repetendum est, quod foeminae nonnisi

perraro patriis laribus repugnantes carere debent. Verum enim vero puella, postquam ante ora parentum adoleverit, vix unquam de more domesticis aedibus discedit nisi connubio jamdiu exoptato juncta, propriamque conditura familiam: novae hinc curae, novi et praepollentes affectus ejus animam invadunt atque ita tenent, ut praeter quam furtiva et fugax, nulla irrevocabilis adolescentiae memoria subrepat. Caeterum mulieres nostomaniacas non semel sibi occurrisse testantur Zwinger, Sauvages, et alii: neque rarum juvenes rusticolas, quae in urbibus famulantur, profundam incidunt melancholiam, ad supremum nostalgiae gradum properantem, si tempestive ad sua mapalia non revertantur.

Gentibus nonnullis peculiaris in nostomaniam proclivitas tribuitur; Germani, Bretones et quam maxime Helvetii hoc sub intuitu quamdam sibi celebritatem vindicarunt. Ast eandem reapse dispositionem praeseferunt ubique monticolae, populi pastores, aut quicumque vitam agrestem et liberam degere assueti, rebus improviso mutatis, in aliena et tumultuosa loca abripiuntur, ubi antiquos et simplicissimos mores sciodant, novamque prorsus et artificialem vivendi rationem, quae legibus, necessitatibus

et finibus naturae minime congruit, ineant necesse est. Nil mirum proinde si terrae prae caeteris inhospitae ac incultae, sed ubi domestici affectus quam maxime vigent, nec effrenata voluptatum cupido et luxuria hominem seduxit ut ab ea, quam natura parcos exaravit, semita magis magisque secederet, tantam impliceot ad hunc morbum dispositionem. Lapones ad extraneas oras migrantes suas glacies flagitant, denegatis diu non supersunt. Ultimae Groenlandiae colonos, qui ad Daniae litora traducti fuerant, tanta invasit ad arcticam suam patriam remeandi cupiditas, ut nulla procellarum mortisque indubiae formidine absterreri potuerint, quominus, parvis conscensis ratibus, immenso se aequori interjecto crederent. (Laurent et Percy. Diction. des Scienc. Médical.)

Nullibi vero haec monomania tot sibi victimas legit, quot in praesidiis et in castris, ubi nonnunquam epidemico prope more haccbatur, et cujuslibet vel levioris adfectionis funestam complicationem constituit, iis primum solemnis, qui novissime suum militiae nomen dederint. Naque mirum: neminem mehercule, qui rem parumper expendat, latebit plurima hic quodammodo concervari momenta, quae ejusmodi

aegritudinis genesi potenter favent, quibusque iterum, prae omnibus obsidatur pubes, quae nuper conscripta, recens adhucdum vulnus ex caris relictis sub pectore servans, extemplo in armorum pericula et labores abrepta, severis militiae legibus vincta, inter millia ignotorum versari coacta, undique morbi insidiis aditum praebet.

Nostalgia quandoque, ignis ad instar, sub cinere latitat, donec fortuito quovis eventu concitata erumpat, qui caeterum per se impar evaderet ad illam progignendam, ubi morbi rudimenta jam pridem texta non offenderet. Conterraneorum adspectus, epistola ex patria adlata, aerumnae domesticae notitia, morbus accedens, amor frustraneus, ambitio delusa etc. huic causarum ordini numerantur. Medicis castrensibus notum, quantum belli vices huc conferant; quousque arridet armis fortuna, vix rari observantur nostalgiae casus, qui illico e contra, in sauciis et captivis praecipue, crebrescunt ac aliqua contingat clades. Peculiarem pariter sibi mentionem meretur influxus, quem in psychopathiae evolutione maturanda magnum, vulgatumque exerunt cantus et soni nationales: mercenarii Scoti, perhibent, cornu elangorem audire non poterant quin lacrymis ora

rigarent, indomitaque patriae desiderio exardeerent; eadem prorsus vehementia monticolas Carniolae patria carmina adficiunt, (*Sagar. Systema morborum symptomaticum*), celebratumque prae caeteris sub nomine *Ranz des Vaches* modulamen in Helvetiae montibus populare, quod tantam in indigenis apud externos militantibus moestitiam, et defectionis quasi necessitatem lacessere dicunt. Hunc tamen effectum helveticae naeniae falso nonnulli *musicalem* asserunt, quum in ipsa omne prorsus desideretur melos; (*Monneret et Fleury. Compendium de Médecine pratiq.*) consultius inquit Rousseau, » *que cet effet ne dépend que de l'habitude des souvenirs, et de mille circonstances qui, retracées par cet air a ceux qui l'entendaient, en leur rappelant leur pays, leur jeunesse, et toutes leurs façons de vivre, excitaient en eux une douleur vive et des regrets amers* ». (*Dictionn. de Musique*)

Paucis denique expendendum venit quam nostalgia sibi curam, quem sibi medicum expetet. Atque omnium primum neminem, qui mentem ad hujusmodi aegritudinis naturam paulisper convertat, fugit vix ullum hic locum pharmacopolis concedi. Absurdum equidem foret miserum nostalgicum formulis et remediis

obruere, quibus in eum solummodo scopum accedere juvat, ut secundariis psychopathiae effectibus, morbisve eam forte cumitantibus reluctemur. Nostalgia, quae utpote animi adfectio ab hisce pariter ac illis sejungenda est, non aliam quam psychicam therapiam exposcit; argumentis rei veritatem ulterius fulcire medicum sanae mentis nequaquam deceret.

Quoties itaque funesti adeo morbi aut insidias clandestine parantis, aut vix palam ingruentis suspicio oriatur, nulla interposita mora eum medicus aut praecavere, aut in primo adhuc limine jugulare contendat. Hunc in effectum magnopere praestat ut, quousque licet, aeger nec desidiae, nec solitudini indulgeat, quippe quae amplum indefensumque taediis moestisque memoriis campum destituunt. Eorum pariter, cum quibus communem obtinet patriam consortium declinet, ubi assiduus circa solum natale vertitur sermo, et irrita regressus vota animum conterunt. Curandum e contra ut modica gymnica atque variata corpus exerceat, jocunda sodalitia frequentet, theatris ludisque sedeat, omni demum studio spiritum recreet, ac melancolicis ideis omnino praecludat. Nostalgiae porro militum, quam omnium frequentissimam vidimus, egregium profi-

laticum non deerit, si nimia, quae forte instet, disciplinae duritiea mitescat, sique armigera juventus eo bellico enthusiasmo aestuet, qui universalem innervationem benefico tantopere effectu moderatur et mutat.

Sed quum, hisce aut inani cura adhibitis, aut prorsus neglectis, monomania jam viribus adolescat, remedium, quo cito et tuto morbum in pejora ruentem obtruncare conceditur, unum illudque facile divinandum, extat: infelix patriis, quos anhelat, ignibus restituatur. Simplex dimissionis promissum milites nostalgicos frequenter redimere valuit; alii plures vix iter in patriam susceptum aliquantillum prosecuti sunt, jamque a diro delirio reconvaluerant, quasi patria, utar verbis Scheuchzeri, *magna quaedam Dea foret cujus invocatio mira in arte medica praestare posset.* (*In Bononiens. Scient. et Art. Instit. atque Acad. Coment. Vol.* 1, *p.* 307). Et hic tamen prudentiae medicae succurrat ingens insperatumque concessi reditus gaudium vel quibus in medelam properat, nocere posse, si homini diutina tristitia ad imum dejecto, inopine supervenit eoque vim vitalem maxime jam labefactatam uno quasi impetu exhaurit.

At, quod magis dolendum, hoc saepenumero consilium, tanta adeoque prompta virtute

pollens, ne capessere quidem licet, sive loca nimis dissita aut obsidio constrica prohibeant, sive aegri conditio aut quaevis complicatio obsiot. Rebus in miseram hanc fortunam adductis, si quae adhuc salutis fiducia supersit, medicione iterum morali unice innititur. Facile verum uousquisque comperit quam difficile et impro-bum tunc munus medici humeris incombat: » *rien*, ait praestantissimus Esquirol, *rien n'est plus difficile que de diriger les passions de l'homme sain: combien la difficulté augmente lorsqu'on veut diriger les passions des aliénées!* » (Traité des Maladies ment.). In casibus hujusmodi praesertim necesset ut medicus ea oon indigeat eloquii facundia, quae imperium animae tenet, humani cordis tramites novit, spemque jam jam exanimem magica quasi arte resuscitare est potis. Postquam vano conamine fixam, quae nostalgicum persequitur, ideam trudere contensum sit, versa vice praestabit aegrum saepissime de patria et iis, quos magis diligit, affari, eum in finem ut pedetentim ipsorum nimium vivida impressio, juxta habitudinis leges, infirmetur; quod si exitus votis respondeat, prima remissionis momenta arripere, ac alios rursum et vehementes affectus commovere, quibus denique mens delira

emancipetur. Ne fracti aegrotantium animi omnino corruant, fas est quandoque, imo necessum et ad insons mendacium confugere, cujus ope sortis iniquitas, usque ac licet, victimas lateat: alte tamen improbamus quos suadere non puduit ut militi nostalgico spondeatur dimissio, sancto exinde pacta temeretur fides.

Limites, quos praesenti elucubratiuncolae angustos praefiximus, superaret argumento fusius consistere: normas caeterom, quae infinitae casuum varietati aeque congruant praevidere, vires excedit; quamnam sibi curam aeger singulus poscat, medicus, cui arduum creditur opus, non aliunde melius quam ex proprio corde hauriet.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

1. Aegophonia hydrothoracis symptoma valdopere inconstans.
2. Endocarditis vix unquam adfectio simplex et protopathica evadit.
3. Nimia Medicorum prudentia raram thoracentesim instituit.
4. Illa desideranda theoria, a praxi feliciasima praesertim deducta, atque ad eam quam maxime accomodata.
5. Medicus .... si naturae non obtemperet, naturae non imperat. (Baglivi)
6. Extra omnia systemata, extat medica doctrina perennis inaimul et progressiva.
7. Apoplexia quandoque a simplici congestione pendet.
8. Nimia audacia in proferenda prognosi communissimum medici ignorantis privilegium.
9. Hypochondriasis ab hysteria omnino dirimenda.